

Ipsa vero compositio quatuor rebus perficitur:  
Iis, quæ morbum curant: iis, sine quibus priora su-  
um effectum præstare nequeunt: iis, per quæ me-  
lius fit actio: & iis, quæ reliqua iuuant ac conser-  
uant. Verum & idoneus compositis vtendi mo-  
dus requiritur, quemadmodum in singulis reme-  
diis ostendemus.

*De medicamentorum compositorum diffe-  
rentiis.*

**C A P. XII.**

**M**edicamenta vero composita aut interna sunt,  
aut externa. Illa vel intro sumuntur, vel im-  
mittuntur: hæc vero extrinsecus applicantur. Quæ  
assumuntur, aut sunt liquida, aut mollia, aut sic-  
ca; eaque aut alterantia, aut purgantia, aut robo-  
rantia. Liquida sunt iulepi, syrapi, apozemata, po-  
tiones purgantes, de stillata restaurantia, emulsi-  
ones, gargarismata. Mollia vero, vt boli, opiatæ,  
conseruæ, eclogmata. Sicca vero sunt electuaria,  
tabularum forma trochisci, pastilli, placentulæ,  
pulueres, apophlegmatismi, dentifricia, quæ o-  
mnia per os sumuntur. Quæ vero immittuntur,  
vel iniiciuntur, vel induntur. Iniiciuntur clysteres  
in intestina, fiunt injectiones in veretrū & vesicā,  
in vterum, in aures, in nares, vt errhina, quæ etiam  
attrahuntur, & quæ in vlcera ad partes internas  
penetrantia, & in fistulosa iniiciuntur. Induntur  
autem in anum suppositoria, noduli, in vteri col-  
lum pessaria,

C 3

Extra